



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Disputatio V. De Individuo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

DXLVI. Vergebis 2^o. ex Patre Poncio Disput. 3^a. de Universalibus ut sic, Quæst. 4. Si, quod Individuum non possit numero multiplicari à parte rei, non impediat, nè sit Universalis; quod Species infima non possit Specie multiplicari à parte rei, non impedit ne sit Genus per abstractionem: sed hoc est absurdum: ergo, &c. Probatur sequela majoris; quia prout illa est Universalis, eò quod in ea jam ab hæcitate præcisa nullum sit principium repugnantiae multiplicabilitatis in Individua; ita nec ullum est principium repugnantiae multiplicabilitatis in Species, ergo, &c.

DXLVII. Respondeo 1^o. negando minorem, quia ut infra ostendemus, natura humana possibilis, respectu Individuorum Physicorum possibilitatem potest se habere ut Genus, de illis tamquam de Specie differentibus prædicari, &c. quod patet à fortiori de Logice tantum possibilibus.

DXLVIII. Respondeo 2^o. majorem negando, quia, supposito, quod detur Species infima, ad multiplicabilitatem illius Logicam in multas Species Logicas tantum, non sufficit præcisio ab hæcitate; quia hæc est principium solius repugnantiae in multa Individua Logica, cujus cum præcissione stat Differentia Speciei infimæ, quæ est principium repugnantiae in multas Species Logicas, à qua si præcindas, in homine v. g. non video cur Logice multiplicari non possit in multas Species, quia illo casu non est aliud, quam animal multiplicari in multas Species Logicas tantum, ut consideranti patebit; in eo autem quod animal sit multiplicabile in Individua Logica tantum, sub præcissione, & aliunde in realia realiter, nul-

la est repugnantia, ut patet ex Responsione ad Objectionem 2^{am}.

RESOLUTIO VII.

DXLIX. **D**ico 7^o. sistendo in autoritate & communi sensu Doctorum, mihi longè probabilius est, 3^{um} prædicabile, sive Speciem Logicam, salvari non posse in unico Individuo Physico possibili, alio Physice impossibili.

DL. Probatur, quia imprimis, quod Deus non sit Universalis, Species Logica, &c. unanimes est omnium Theologorum & Philosophorum consensus; eò quod Deus sit essentialiter hic, sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti; quia sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti, accipi debet ut immultiplicabilis. Deinde quod natura Michaëlis non sit similiter Universalis, Species, &c. videtur (supposita illius Physicæ immultiplicabilitate) sequi à pari ex natura Divina; quæ sicut est essentialiter hæc, quia, sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti, accipi debet, ut immultiplicabilis; ita natura Michaëlis est essentialiter hæc, quia, sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti, accipi debet, in illa hypothese, ut immultiplicabilis; repugnat enim illam accipi ut immultiplicabilem, & non accipi ut hanc; & quocumque sensu isto modo accipitur, hoc modo accipi debet; & quocumque sensu acciperetur ut multiplicabilis, ut non hæc, &c. eodem sensu Deus sive natura Divina accipi deberet ut multiplicabilis, ut non hæc, &c. ut Resolutio nem 6^{am} consideranti patebit, ergo, &c.

DISPUTATIO QUINTA
De Individuo.

DUBIUM I.

Quid Individuum Physicum, Metaphysicum
& Logicum.

DLI. **A**ntè Resolutionem Suppono 1^o. varias à Porphyrio hic (quia, cum Individuum sit correlativum Speciei, de eo hic agendum videbatur) Individui definitiones adferri. 1^a. Quod de uno solo particulari dicitur, puta univocè, quia de multis æquivocè dici, non est Dubium. 2^a. Quod constat proprietatibus (id est accidentibus, duobus subiectis Hexametris contentis) quarum idem (puta Specie) aggregatum numquam fiet (supple naturaliter, quia supernaturaliter fieri posse, patet) in alio. Hexametra autem sunt hæc:

Forma, figura, locus, tempus cum nomine, sanguis, Patria, sunt septem, quæ non habet unus & aliter.

Brevius alii post Boëtium:

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.

DLII. Forma est colorum corporis dispositio: figura partium: locus extensio localis: stirps parentes: tempus duratio; cætera patent. Ista tamen definitio essentialis non est; sed descriptiva, eaque valde imperfecta, quia accidentia rei, non essentiam explicat: nec omnia Individua comprehendit; sed ex sanguine sive ex Parentibus tantum (qui, præterquam viventibus non assignantur, etsi in aliis quâdam latiori acceptione assignentur) statim patet,

nullam esse definitionem, quia duo terræ Individua (& sic de aliis inanimatis) omnino in proprietatibus istis convenientia naturaliter proferre, nihil vetat; ut tamen definitio nulla censetur, sufficit, quod supernaturaliter produci possint duo homines, quibus illa omnia convenient; posse autem, nullus ambigit.

DLIII. Suppono 2^o. Individuum posse, ut Universalis, dupliciter accipi: semel 1^o. intentionaliter, sive secundum ea, quæ habet independentem ab intellectu; & semel 2^o. intentionaliter, sive secundum ea, quæ habet dependentem ab intellectu. De quibus Tract. 1^o. de Ante-Universalibus, Disp. 1^a. Dub. 1^o.

DLIV. Suppono 3^o. Individuum ordinariè assignari quadruplex. 1^{um} determinatum ex nomine proprio, ut Paulus. 2^{um} ex demonstratione, puta eò quod sit nomen commune affectum pronomine demonstrativo, ut hic homo. 3^{um} ex suppositione, puta eò quod sit nomen commune, ex suppositione facta, uni soli conveniens; ut Philosophus pro Aristotele; Apostolus pro Paulo; Filius Virginis Mariæ pro Christo. 4^{um} est Individuum vagum, eò quod sit nomen commune affectum signo particulari, ut aliquis homo: quod Individuum, ideo vagum dicitur, quod in cognitione ita vagetur, ut in ipsa nihil sit determinatum; licet in se, (utpotè sapius existens) plerumque sit determinatum. His autem suppositis, sit

RESOLUTIO I.

DLV. **D**ico 1^o. Individuum Physicum est ens 1^o intentionaliter, quod est Individuum in se, &

divisum à quolibet alio, ut Petrus. Ità D. Thomas 1. parte quæst 29. artic. 4. id est, Individuum est illud, quod habet Differentiam intrinsecam nulli alteri communicabilem, sic ut ratione illius, illi repugnet dividi in plura, quorum unumquodque sit adæquatè idem cum ipso. Vndè clarè patet 1^o. quòd Univerfale non fit Individuum; quia omne Univerfale genericum & specificum in Species aut Individua, tamquam adæquatè eadem cum ipso, dividi & diftrahi potest. 2^o. quòd Petrus v.g. maneat Individuum, licèt in anima & corpus dividi possit: (& idem est de ligno Bipedali, quod in unum & alterum pedem dividi potest) quia in illa non dividuntur tamquam in adæquatè eadem cum diviso.

DLVI. Petes, quomodo inter se distinguantur divisibile, indivisibile, unum & Individuum.

DLVII. Respondeo, *divisibile*, esse omne illud, quod in partes dividi potest. *indivisibile*, quod in partes dividi non potest unum rectè confunditur cum *individuo*; quod definitum est, *id cui repugnat dividi in plura, quæ sunt adæquatè idem cum ipso*, sive interim fit *divisibile* in partes suas, sive *indivisibile*.

RESOLUTIO II.

DLVIII. Dico 2^o. Individuum Metaphysicum est ens 2^o. intentionale, quod est *indivisum in se, & divisum à quolibet alio*, id est, est prædicatum commune restrictum per particulam *hoc* ut *hoc animal*.

RESOLUTIO III.

DLIX. Dico 3^o. Individuum Logicum est, ens unum, &c. aptum prædicari de uno tantum. Quia tamè Individuum Physicum, antecedenter ad omnè intentionem prædicabilificantè est, proximè de uno prædicabile; (nam comparatio ipsius ad se ipsum, sive secundum identitatem illius secum, ad prædicationem requiritur, non ad prædicabilitatè ut supra Tract. 1^o. Disp. 3. vidimus) omne Individuum Physicum ut tale (& idem est de Metaphysico ut tali) est Individuum Logicum: secus tamen si Individuum Logicum per actum, & non per aptitudinem, hoc modo definias: Individuum Logicum est, quod de uno solo univocè prædicatur; quia illud solum est Individuum Logicum ut sic, quod de facto de uno solo prædicatur, sive quod de facto ab actu intellectus prædicante determinatur, ad esse prædicatum de uno solo, quod Individuo ut Physico, vel Metaphysico, &c. non convenit, ut patet; licèt illis per denominationem à tali actu prædicante, & prout illi tamquam subiecta denominationis subsunt, conveniat. Loquere proportionaliter de hac definitione Individui per aptitudinem. *Individuum est, quod est subijcibile Speciei*: & alterà per actum, *Individuum est, quod subijcitur Speciei*. Vndè patet, contrà P. Comptonum Logic. Disp. 35. Sect. 2^a. Individuum Logicum esse 1^o. vel 2^o. intentionis, prout definitur per aptitudinem vel actum.

DLX. Objicies 1^o. juxta Aristotelem 1^o. Metaph. cap. 15. Individuum definiri non potest: ergò tres in istis Resolutionibus allatæ Individui definitiones sunt nullæ.

DLXI. Respondeo 1^o. Aristotelem solum velle, Individua Physica & Metaphysica, ut talia, definiri non posse rigorosà aliquà definitione, id est constante Genere & Differentià, propriè dictis (quid quid sit, an prout ens definitur, definiri non possint;

quod negandum non videtur;) non verò Individua Physica aut Metaphysica, ut definita materialia definitionis Individui Logici traditæ per actum, sive ut denominata hujus definitionis, *Individuum est, quod de uno solo univocè prædicatur*: quia, semel dato, quòd Petrus & Paulus de uno solo univocè prædicentur, sunt hoc, quod de uno solo prædicatur, & hoc, quod de uno solo prædicatur: si verò ab utroque præscindas hæcceitates, & sic, quod de uno solo univocè prædicatur, ab utroque abstrahas, habebis, quod de uno solo prædicatur, còmunè univocè Individuis Physicis aut Metaphysicis, ut definitis materialibus definitionis Individui Logici, traditæ per actum: & speciem consequenter habebis prædicabilem respectu illorū. Vndè Respondeo 2^o. distinguendo assumptū. Individuum ut Individuum, & in particulari, definiri non potest, concedo assumptum; Individuum Logicum ut Species, & in communi, nego assumptū.

DLXII. Instabis: Individuum in communi prædicatur de multis, ergò vel definitio non est Individui in communi, vel non valet.

DLXIII. Respondeo, distinguendo antecedens: Individuum in communi prædicatur de multis denominativè & accidentaliter, concedo antecedens: formaliter & essentialiter, nego antecedens: idem enim hic contingit, ac dum Genus abstractū ab hoc & hoc Genere, fit denominativè & accidentaliter Species; licèt sit formaliter & essentialiter Genus, prout est concretum ex 1^a. intentione objectiva, & 1^a. formali genericante; nam Individuum ut concretum ex 1^a. intentione objectiva, & 1^a. intentione formali Individuante, est formaliter & essentialiter Individuum, & prædicatur de uno tantum; ut abstractum verò ab hoc & hoc tali concreto, est denominativè & accidentaliter Species, & prædicabile de multis.

DLXIV. Vrg: bis 1^o. Individuum in communi, est prædicabile essentialiter de multis, ergò solutio nulla. Probatur antecedens, quia hæc prædicatio *hoc Individuum est Individuum*, non est minus essentialis, quàm hæc, *Petrus est homo, hoc animal est animal*, &c. quæ, apud Omnes, sunt essentielles, ergò, &c.

DLXV. Respondeo distinguendo antecedens, ut antè: Individuum in communi, est prædicabile de multis essentialiter, id est, essentialiter habet, quòd sit prædicabile de multis, nego antecedens: nam id habet à 1^a. intentione formali Speciei quæ accidentaliter afficitur, non secus ac homo habet esse aptum prædicari de Petro & Paulo v.g. essentialiter, hæc enim non includuntur in definitionibus ipsorum: id est, postquam accidentaliter accepit à 1^a. intentione formali Speciei, esse prædicabile de multis: est prædicabile in actu exercito de multis essentialiter, concedo antecedens; sed hoc non est habere essentialiter, esse aptum prædicari, ità ut ly *essentialiter* appellet habere, prout habet Genus, Species, &c. in concreto; sed habere accidentaliter, esse aptum prædicari essentialiter; ità ut ly *essentialiter* appellet prædicari, prout habet Genus, Species, &c. materialiter sumpta pro denominatis.

DLXVI. Vrg: bis 2^o. Definitum in definitione Individui, est oppositum definito in definitione Univerfalis; sed Individuum non est illi oppositum, ergò &c. Probatur minor; quia est Univerfale, & Univerfale est tale definitum.

DLXVII. Respondeo distinguendo majorem, definitum quo & formale Individui, est oppositum definito quo & formali in definitione Univerfalis, concedo

concedo maiorem: nam illud est 1^a. intentio formalis dans prædicari de uno tantum; hoc 1^a. intentio formalis dans prædicari de multis, quæ sunt opposita: definitum quod & materiale Individui, est oppositum definito quod & materiali in definitione Universalis, nego maiorem: licet enim non omne definitum quod in definitione Universalis sit definitum in definitione Individui; sed solum esse conceptum conceptu Individuante, sive abstractum ab hoc & hoc concepto conceptu Individuante; hoc tamen est unum ex definitis quod, in definitione Universalis.

DLXVII. Obijcies 2^o, Individua sunt primæ substantiæ; sed primæ substantiæ de nullo prædicantur juxta Aristotelem cap. de Substantia; ergo, &c.

DLXIX. Respondeo distinguendo minorem: sed 1^a. substantiæ de nullo prædicantur prædicatione ordinatâ, id est, superioris de inferiori vel totius de parte subjectiva, concedo minorem: prædicatione identicâ, æqualis de æquali; vel etiam formali (quia ad prædicationem formalem solum requiritur prædicatum paulò clarius exprimi, vel aliud significare, quàm subjectum) nego maiorem. Nec aliud negat Aristoteles; alioqui, cum 1^o. Prior. cap. 28. dicat: Individuum posse prædicari, ut quando dicitur, hoc album est Socrates, sibi contradiceret.

DLXX. Addo tamen, concedi posse, Individuum de nullo prædicari simpliciter; quia prædicari simpliciter, loquendo ex hypothese & anthonomastice, est prædicari de multis, seu prædicatione Universalis.

D V B I V M II.

An ab Individuis possit abstrahi ratio communis Univoca.

DLXXI. **A**nte Resolutionem Suppono 1^o. Dubium procedere de Individuis Physicis, Metaphysicis & Logicis, ut definitis materialibus in definitione, quâ Individuum definitur, Quod de uno solo univocè prædicatur; id quæ sub duplici eorum consideratione, materialiter scilicet, & secundum totum quod dicunt, & formaliter sive præcisiuè secundum suas Differentias individuales.

DLXXII. Suppono 2^o. istorum Individuorum duplicem posse assignari rationem; unam 1^o. intentionalem & intrinsecam, & est prædicatum quodlibet Individuis conveniens antè 1^{um} actum intellectus ab illis realiter distinctum: alteram 2^o. intentionalem secundum se, vel secundum modum significandi. 2^o. intentionalis secundum se, est omne prædicatum cujus forma est intentio illis extrinseca. 2^o. intentionalis verò secundum modum significandi, omne prædicatum significans & præsupponens prædicatum 2^o. intentionale secundum se, juxta dicta Tract. 1^o. de Antè-Universalibus Disp. 1^a. Dub. 1^o. His suppositis, sit

R E S O L U T I O I.

DLXXIII. **D**ico 1^o. Ab Individuis Physicis materialiter sumptis nulla ratio 1^o. intentionalis, intrinseca & in actu signato abstrahi potest, quæ sit illis positivè aut etiam negativè communis univoca; bene aliqua 2^o. intentionalis secundum modum significandi extrinseca & in actu exercito.

DLXXIV. Probat 1^a. pars: quia omnis ratio

Individuorum Physicorum materialiter sumptorum 1^o. intentionalis, intrinseca & in actu signato, est objectivè indivisibiliter, ac proinde formalissimè hoc; ergo ab Individuis Physicis materialiter sumptis nulla potest abstrahi ratio, &c. Probat consequentia, quia ab hoc & hoc formalissimè sumptis nulla talis ratio magis potest abstrahi, quàm dari possit hoc formalissimè sumpti, conceptus inadæquatus quoad intrinseca. Antecedens patet, ex præmissis Tract. 1^o. Disp. 2^a. contra talis rationis distinctionem objectivam Thomisticam.

DLXXV. Confirmatur: si ab Individuis Physicis materialiter sumptis aliqua similis ratio abstrahi posset, maximè ratio entis, substantiæ, &c. abstrahi posset; sed hæ rationes non sunt 1^o. intentionales intrinseca & in actu signato, ergo, &c. Major patet: probatur minor, quia ens, substantia, &c. sunt rationes 2^o. intentionales extrinseca, saltem ex modo significandi & in actu exercito; nam ens v.g. non est nisi in actu exercito conceptus Individuorum tam confusè, ut solum appareant distincta à non ente: similiter substantia non est nisi in actu exercito conceptus Individuorum tam confusè, ut solum appareant distincta ab accidente; quæ verò tantum sunt in actu exercito ipsius conceptus, ut esse conceptum, Universalis, unum, commune, &c. non sunt prædicata 1^o. intentionalia, intrinseca & in actu signato; sed 2^o. intentionalia; vel secundum se, ut esse conceptum, vel secundum modum significandi tantum, ut homo, ens, & similia, quæ significant & necessariò præsupponunt conceptum. De quibus fusè & ex professo Tract. 1^o. Disp. 1^a. & 2^a.

DLXXVI. Obijcies tamen 1^o. à Petro & Paulo abstrahitur per 1^{am} intentionem formalem ratio communis univoca entis, animati, albi, &c. ergo illa sunt rationes seu prædicata 1^o. intentionalia & intrinseca Petro & Paulo. Probat consequentia; quia 1^a. intentio formalis tendit in rem secundum ea, quæ habet antè intellectum.

DLXXVII. Respondeo concessio antècedente, negando consequentiam. Ad ejus probationem, distinguo assumptum: 1^a. intentio formalis tendit in rem secundum ea, quæ habet antè intellectum, ita ut illam in actu exercito non mutet extrinsecè, & ex parte ipsius intellectus, nego assumptum; nam dum 1^a. intentio formalis Petrum & Paulum confusè cognoscit, in ordine ad sensationem & rationationem, abstrahendo ab hæcitatibus facit Petrum & Paulum extrinsecè & ex parte actus hominem & Speciem prædicabilem: ita ut illam in actu exercito mutet extrinsecè & ex parte ipsius intellectus, concedo assumptum; hoc autem sufficit ut à Petro & Paulo abstrahat rationem entis, animati, albi, &c. nam licet hoc album, hoc animatum, &c. sint rationes 1^o. intentionales & extrinseca respectu Petri & Pauli; album tamen & animatum, ut potè quidpiam commune & indifferens ad multa, cui nihil datur simile antè intellectum, sunt rationes 2^o. intentionales & extrinseca secundum modum significandi: imò nec Petrus est hoc ens 1^o. intentionali- ter & antè intellectum (nam hoc ens est Genus transcendente immediate individuatum per intellectum) sed tantum hoc ens & simul indivisibiliter intrinsecè ceteri gradus ipsius Metaphysici, considerati ex parte objecti: hinc 1^o, sicut falsa est hæc prædicatio, Petrus est Universalis 1^o. intentionali- ter & antè intellectum, ita hæc, Petrus est ens 1^o. intentionali- ter & antè intellectum; 2^o, sicut falsa est hæc prædi-

prædicatio, Petrus est Genus immediate individuatum 1^o. intentionaliter & ante intellectum; ita hæc, Petrus est hoc ens 1^o. intentionaliter & ante intellectum.

DCLXXVIII. Instabis, vera est hæc prædicatio, Petrus est ens, ente personaliter sumpto, ergo etiam hæc, Petrus est ens, sumpto ente 1^o. intentionaliter & ante intellectum. Probatur consequentia, quia ens, ente personaliter sumpto, est ens sumpto ente 1^o. intentionaliter & ante intellectum.

DCLXXIX. Respondeo concessio antecedente distinguendo consequens: ergo etiam hæc est vera, Petrus est ens sumpto ente 1^o. intentionaliter & ante intellectum, si ly 1^o. intentionaliter & ante intellectum appellet ly Petrus; ita ut sit sensus, Petrus 1^o. intentionaliter & ante intellectum est ens, nego consequentiam; alioqui hæc etiam esset vera, Petrus 1^o. intentionaliter & ante intellectum est quid indifferens ad multa, commune, &c. si ly 1^o. intentionaliter & ante intellectum appellet ly ens, ut sit sensus, Petrus est ens 1^o. intentionaliter & ante intellectum, concedo consequentiam; sed hoc est idem ac si diceretur Petrus est ens, ente personaliter sumpto. Sic patet ad probationem consequentiarum.

DCLXXX. Probatur 2^a. pars conclusionis, quia à Petro & Paulo v. g. potest abstrahi ratio hominis, animalis, substantiæ, entis, &c. sed illa est 2^o. intentionalis & extrinseca secundum modum significandi, ut sæpe vidimus, ergo &c.

DCLXXXI. Obijcies 2^o. potest dari ratio Individui incompleti communis omnibus Individuis quantumvis inter se dissimilibus; sed ratio individui incompleti est 1^o. intentionalis intrinseca & in actu signato; ergo, &c. Probatur major, quia Individuum incompletum est idem ac unum transcendentaliter, quod convenit prædicatis superioribus, ac proinde commune multis Individuis prout ipsum prædicatum superius.

DCLXXXII. Respondeo negando minorem, rationem Individui incompleti, sive unius transcendentaliter, prout idem est ac prædicatum superius, nihil est 1^o. intentionale, magis quam ipsum prædicatum ut in actu exercito superius; posse autem ab Individuo abstrahi rationem aliquam 2^o. intentionalem, extrinsecam & in actu exercito univocæ communem multis, statim dicitur.

RESOLUTIO II.

DCLXXXIII. **D**ico 2^o. ab Individuis Metaphisicis formaliter sumptis secundum suas hæcceitates, nulla potest abstrahi ratio communis univoca 2^o. intentionalis secundum modum significandi tantum v. g. ratio entis, substantiæ, Accidentis, unius transcendentaliter, &c. Est Nominalium contra RR. PP. Hurtadum, Oviedum, Comptonum & Thomistas communiter.

DCLXXXIV. Probatur, quia hæcceitas est præcisißima ratio differendi sive ultima Differentia distinctè cognita ut ultima; sed à duabus præcisißimis rationibus differendi, sive à duabus ultimis Differentiis distinctè cognitis ut ultimis, non potest abstrahi ratio communis entis, substantiæ, &c. ergo, &c. Probatur minor; quia alioqui essent rationes præcisißimæ differendi sine ullo modo conveniendi, Differentiæ ultimæ distinctè cognitæ ut ultimæ, &c. & non essent; quæ contradictionem implicant: essent ut supponitur; non essent, quia essent ratio conveniendi; nam in ratione entis inter

se convenirent; ac proinde accipi non possent ut distinctæ à Differentia communi vel specificæ; sed illam simpliciter in se includerent.

DCLXXXV. Dices ex P. Comptono Disput. 35. Logic. Sect. 14. à terminis æquivocis potest in actu exercito abstrahi ratio communis univoca termini æquivoci, ergo & in actu exercito ab hæcceitatibus, Individuis, terminis, &c. ratio communis univoca hæcceitatis, Individui, unius, &c.

DCLXXXVI. Respondeo rationem univocam termini æquivoci ab illis ut sunt æquivoca 1^o. intentionaliter, non abstrahi; sed prout sunt 2^o. intentionaliter definita materialia definitionis æquivocorum; ab hæcceitatibus autem, Individuis, unius, &c. prout sunt 2^o. intentionaliter definita materialia definitionis Individui secundum actum, posse abstrahi rationem communem, diximus dub. 4. & fusiùs probabitur Resolutione sequenti. Vnde nego consequentiam ad sensum hujus Resolutionis; si enim à duabus hæcceitatibus possit abstrahi una hæcceitas communis univoca; à duabus humanitatibus, prout humanitas condistinguitur contra hanc humanitatem, poterit abstrahi una humanitas communis univoca, & sic de aliis, quæ sunt absurda.

DCLXXXVII. Confirmatur, hæcceitates ut sunt præcisißimæ rationes differendi, sive Differentiæ ultimæ distinctè cognitæ ut ultimæ, condistingui debent adæquatè ab ente, formaliter quidem in sententia Scoti; objectivè in sententia Thomistarum; ex parte actus tantum, in Nominalium & non in sententia: ergo ab illis ut talibus (quomodò hîc sumi debent) non potest abstrahi ratio communis entis; probatur consequentia; quia ut tales, utpotè adæquatè distinctæ ab ente, non sunt ens: probatur antecedens, 1^o. quia alioqui essent præcisißimæ rationes, &c. & non essent, ut probatum est n. 605. 2^o. quia contrahens & contractum debent adæquatè condistingui; alioqui daretur processus in infinitum; nam contractum utpotè inadæquatè semper inclusum in suo contrahente, semper & ab omni contrahente posset in infinitum abstrahi; alias, si vel unum assignes à quo adæquatè distinguatur, idem debes dicere de omnibus: sit exemplum, si animal v. g. sit inadæquatè inclusum in rationali à quo contrahitur, poterit à rationali abstrahi; quò dato, vel in rationali, quod remanet post abstractionem, adhuc inadæquatè includitur ex parte actus, vel non? si rum. iterum poterit abstrahi, & sic in infinitum; si non, ergo ab initio adæquatè distinguebatur à rationali suo contrahente, & sic de aliis. 3^o. si hæcceitas includat ens, potest inadæquatè concipi secundum quod est ens, & inadæquatè secundum quod dicit distinctum ab ente; hoc supposito, sic argumentor; hæcceitas concepta inadæquatè secundum quod est ens, non est præcisißima ratio differendi, sed conveniendi; non est ultima Differentia cognita distinctè ut ultima, sed convenientia, ergo inadæquatè tantum concepta secundum quod dicit distinctum adæquatè ab ente, est talis; ac proinde non potest à diversis similibus abstrahi ratio communis entis.

DCLXXXVIII. Obijcies 1^o. ens includitur in omni ente positivo, ergo essentialiter includitur in omni hæcceitate, etiam formaliter & præcisißimè sumptæ: ergo potest ab omni hæcceitate, etiam præcisißimè sumptæ, abstrahi ratio communis univoca entis. Probatur hæc consequentia; quia, etiam ut sic, est ens reale positivum.

DLXXXIX. Respondeo distinguendo antecedens, ens includitur essentialiter in omni ente positivo sumpto objective, materialiter & ut subiacet conceptui adequato ultimo, concedo antecedens; nam ut sic est idem quod omnes gradus Metaphysici in individuo inclusi: sumpto formaliter, & ut subiacet conceptui inadéquato ultimo, nego antecedens; sicut enim Petrus potest ita inadéquate concipi ex parte actus, ut distincte representetur ut rationalis tantum, abstrahendo an sit animal, nec ne: ita hæcceitas cujuscunque Individui potest sic inadéquate ex parte actus concipi, ut ex parte ejusdem distincte tantum representetur ut est præcissima & ultima ratio differendi, abstrahendo an sit ens, nec ne; hæcceitas verò ut sub illo inadéquato conceptu ultimo, non includit ens, nec est, nec non est, ens positivum; sicut Petrus ut sub inadéquato conceptu rationalis & specifico ultimo, non includit ex parte actus animal, nec est, nec non est, animal.

DLXXX. Instabis: inter ens & nihil, non datur medium; sed hæcceitates ut ultimæ rationes differendi non sunt nihil; ergo sunt ens.

DLXXXI. Respondeo distinguendo majorem: inter ens & nihil non datur medium objective distinctum, concedo majorem; distinctum formaliter & ex parte actus representativi, nego majorem; verum quidem est, quod, quidquid obicitur intellectui, sit ex parte sua sive objecti ens, vel nihil; non verò formaliter & ex parte actus, quo representatur; quia potest per illum, tam confuse representari, ut sub representatione non appareat esse ens, aut nihil; quod in proposito contingit, dum mihi represento hæcceitatem præcisè, ut est ultima ratio differendi; item perfectatè ut est Differentia contrahens ens ad substantiam, &c. Unde hæcceitas ut ultima ratio differendi, dicit quidem aliquid formaliter oppositum chymæ, puta ens ex parte objecti; non tamen ex parte actus, sed à tali opposito abstrahit. Quare, si per impossibile poneretur à parte rei id, quod se tenet ex parte actus, quo hæcceitas præcisè representatur ut ultima ratio differendi, ita poneretur, ut nec esset ens, nec chymæ, sive non ens; si verò poneretur id, quod se tenet ex parte objecti, poneretur, non tantum ens, sed & omnes gradus Metaphysici ejusdem Individui; quia sunt unum quidpiam objective indivisibile, ut sæpè dictum est.

DLXXXII. Urgebis: hæcceitas Petri v.g. sive Petreitas ex parte actus inadéquati & ultimi, est ultima ratio differendi, & hæcceitas Pauli etiam, sive Pauleitas; ergo in illa saltem ratione conveniunt ut subsunt conceptui confuso; licet disconveniant ut subsunt distincto; ac per consequens, licet ab illis, ut subsunt conceptui distincto, abstrahi non possit aliqua ratio ultimæ rationis differendi; poterit tamen, ut subsunt conceptui confuso.

DLXXXIII. Respondeo distinguendo, consequens, ergo in illa saltem ratione conveniunt æquivocè, concedo consequentiam: univocè, nego consequentiam: non enim magis conveniunt univocè, quam conceptus distinctus Petreitatis ut talis, & Pauleitatis ut talis; nec conceptui confuso ut tales subesse possunt, magis, quam id, quo Petrus ultimò differt à Paulo, possit esse id, quo Paulus ultimò differt à Petro; quod tunc fieret; aut magis, quam præcissima ratio disconvenientiæ ut talis, possit esse ratio convenientiæ; quod etiam fieret.

DLXXXIV. Deindè Petreitas & Pauleitas ita per

conceptum in proposito attinguntur, ut faciant ultimò differre, & ultimò inter se differant; nam cum faciunt subiecta sua ultimò differre, faciunt se ultimò differre; conceptus autem talis necessariò est distinctus, & non confusus.

DLXXXV. Superurgebis, Differentiæ individuales Petri & Pauli magis conveniunt, quam Petri & Bucephali, Petri & hujus albedinis, &c. sed id contingit ratione alicujus communis univocè, ergo, &c.

DLXXXVI. Respondeo distinguendo majorem; Differentiæ individuales Petri & Pauli magis conveniunt formaliter & ex parte actus, nego majorem; materialiter & fundamentaliter, in quantum Petrus & Paulus (à quibus ut sic non distinguuntur) sunt per plures actus, & in ordine ad plures operationes fundamentaliter similes, inter se confusibiles, quam Petrus & Bucephalus, Petrus & hæc albedo, &c. concedo majorem; sed de Differentiis individualibus hoc modo sumptis non procedit dubium.

RESOLUTIO III.

DLXXXVII. **D**ico 3^o, ab Individuis Logicis, prout sunt definita materialia in definitione Individui secundum actum, potest abstrahi ratio aliqua communis univoca 2^a, intentionalis secundum se. Probat, quia omnia in eo conveniunt; quod sunt concepta 1^a, intentione formali individuantem; quod sunt unum unitate singulari extrinsecà 1^a, intentionis formalis individuantis, sive quod de uno tantum prædicentur; sed illæ rationes sunt 2^o, intentionales secundum se, ergo, &c. Hinc

DLXXXVIII. Colliges, omnia Individua Logica ut sic, convenire in ratione univoca Individui Logici, ut sic ab illis per conceptum confusum abstrahitur; non item individua Physica in ratione Individui Physici, aut Metaphysica in ratione Individui Metaphysici, quia dicunt ultimò differre; ab hac autè & illa ultima Differentia, non potest abstrahi una ultima Differentia communis univoca, ut patet ex dictis; & ratio clara est, quia alioqui ultima Differentia esset totalis convenientia, quod est ridiculum & implicans.

DLXXXIX. Nec dici potest, illam esse ultimam Differentiam ut sub conceptu distincto, & ex parte Petreitatis, v.g. Pauleitatis, &c. non verò ut sub conceptu confuso, & ex parte abstractionis; nam de ratione ultimæ Differentiæ est, ut sumatur Species ut sub conceptu distincto; quia ut sub confuso, ne quidem esset Differentia, quomodo igitur ultima?

DC. Objicies tamen, si ab Individuis Logicis posset abstrahi, ratio aliqua communis univoca 2^a, intentionalis secundum se, contrahi deberet per duas hæcceitates ad Individua Logica, à quibus etiam posset abstrahi ratio communis univoca 2^a, intentionalis secundum se; quæ ad illas contrahi deberet per duas alias hæcceitates, & sic in infinitum, quod est absurdum, ergo, &c.

DCI. Respondeo distinguendo majorem: si ab Individuis Logicis, &c. deberet per duas hæcceitates Metaphysicas contrahi ad Individua Logica concedo majorem; per duas Logicas, nego majorem: sicut enim differentia contrahens rationale ad Petrum, debet ex parte actus condistingui à rationali, &c.

& Differentia individualis contrahens naturam Vniversalem ad Individuum, non debet esse Vniversalis, sed ab ea aequatè distincta, aliàs idem contraheret seipsum, & iretur in infinitum; ità Differentia contrahens individuum Logicum ad hoc Individuum Logicum, debet condistingui ab Individuo Logico; ac proinde non potest esse Individuum Logicum, sed hæceitas Metaphysica, ex qua & Individuo Logico constituitur hoc Individuum Logicum: quia hoc Individuum nihil aliud est, quàm hoc conceptum conceptu sive n. intentione formali individuante, per ly hoc intelligendo hæceitatem Metaphysicam, vel entitatem Physicam Individui Physici ut talis.

DCII. Instabis hæc & hæc singularitas Logica sunt ultimæ Differentiæ individui Logici; sed sicut, ab ultimis Differentiis Metaphysicis non potest abstrahi ratio communis univoca; ità nec ab ultimis Differentiis individui Logici; ergo, &c.

DCIII. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in Differentiam specificam atomam; rationale & rugibile v. g. sunt differentia ultimæ specificæ, ergo sicut ab ultimis Individuis non potest abstrahi ratio communis univoca; ità nec ab ultimis specificis: est enim lata disparitas, quod Differentia ultimæ specificæ, ità sit ultima, ut sit in ratione Differentiæ specificæ, communis, huic & huic Differentiæ specificæ; Differentia verò ultima individui Metaphysica, ità est ultima, ut non sit communis huic & huic Differentiæ ultimæ individui Metaphysicæ; undè sicut Differentia ultima specificæ est communis univoca multis; ità ab ultimis differentis specificis potest abstrahi ratio communis univoca illis.

DCIV. Respondeo 2^o. concessa majore, negando minorem; est enim disparitas, quod differentia individui Metaphysicæ ita sint ultimæ, ut in ratione Differentiæ individui Metaphysicæ nō convenient; & contra Differentiæ ultimæ Logiciæ, quia in hoc univocè convenient, quod sint Individuum Logicum, prædicabiles de uno solo, quod sint concepte 1^a. intentione formali individuante, &c. deinde non sunt rationes differendi, undè dicere possunt convenientiam, sed rationes prædicandi de uno solo, distinctæ solo numero sub prædicabili de uno solo definito in communi, tamquam sub specie.

DVBIVM III.

An Individuum vagum sit Vniversale, vel saltem Individuum propriè dictum.

RESOLUTIO I.

DCV. **D**ico 1^o. Individuum vagum, ut v. g. aliquis homo, quidam leo, &c. non est Vniversale; sive à mente Porphyrii, ad Vniversale requirunt terminum simplicem, abstrahas, sive non.

DCVI. Probatur 1^o. quia, spectatà mente Porphyrii, a definitione Vniversalis excluduntur termini complexi & voces complexæ significatione,

qualis est Individuum vagum, ut patet, ergo, &c.

DCVII. Probatur 2^o. quia abstrahendo à mente Porphyrii, Individuum vagum v. g. aliquis homo, non est multa realiter, & unum sub conceptu confuso; ergo non est Vniversale; consequentia patet ex præmissis; probatur antecedens pro 1^a. parte, quia ly *aliquis homo* significat unum Individuum determinatum in se, & solum indeterminatum in cognitione, & non determinatè plura in se; nam si unus tantum homo, quem non cognoscam, fuerit locutus, & dicam, *unus tantum homo fuit locutus*, verum dicam; si verò plures homines fuissent locuti, falsum dicam, ergo, &c.

DCVIII. Probatur antecedens pro 2^a. parte: quia, qui apprehendit hoc complexum aliquis homo, non apprehendit multos homines instar unius, sed unum ex multis, quos inter se distinguit formaliter, ut potè tendens in particulam distinctivam vel, quæ mediare debet inter distincta & distincta, ergo, &c.

DCIX. Obijcies tamen 1^o. Individuum prædicatur de multis univocè, ergo est Vniversale; probatur antecedens, quia aliquis homo v. g. prædicatur univocè de Petro, & Paulo, ergo, &c.

DCX. Respondeo 1^o. negando antecedens; quia cum Individuum vagum significet unum hoc determinatum in se, licet indeterminatum in cognitione, non potest magis, quàm unum hoc, ut Petrus v. g. prædicari de multis univocè: & hæc responsio sufficit, si abstrahatur à mente Porphyrii, pro conditionibus dictis; si secus.

DCXI. Respondeo 2^o. non sufficere prædicari de multis univocè; alioqui animal rationale respectu Petri & Pauli esset Vniversale, cum tamen ex mente Porphyrii ab Vniversali excludatur per ly *unum*.

DCXII. Obijcies 2^o. totum quod obstat posset, quò minùs Individuum vagum sit Vniversale; est, quod significet unam Differentiam individua-lem confusè; sed hoc non obest, ergo, &c. Probatur minor, quia ly *homo*, ut est Vniversalis, significat confusè Differentias individuales Petri, Pauli, &c. ergo, &c.

DCXIII. Respondeo distinguendo majorem, totum quod obstat posset, &c. est, quod significet unam Differentiam individua-lem in se determinatè, & non plures, concedo majorem; id enim ipsum est, quod obstat: quod significet unam & simul etiam plures in se determinatè, prout significat ly *homo*, nego majorem, nam id non obstat, sed necessariò requiritur ad hoc, ut natura sit Vniversalis.

RESOLUTIO II.

DCXIV. **D**ico 2^o. Individuum vagum est propriè dictum Individuum Logicum: probatur, quia prædicatur de uno tantum univocè, licet æquivocè de multis, ut Petrus, prædicari possit, ergo, &c.

DCXV. Confirmatur, ideò Petrus est Individuum Logicum propriè dictum, quia prædicatur de uno tantum, licet æquivocè de multis prædicari possit, ergo & Individuum vagum.